DE LEGIBUS,

SECUNDUM QUAS FIXA, QUAE DICITUR, IDEA FORMATUR IN VESANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

EX AUCTORITATE ATQUE CONSENSU GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA WILHELMIA RHENANA

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE CAPESSENDO

SCRIPSIT ET DIE XVIII. IULII ANNI MDCCCXXXVII.

H. XI.

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS FRIDERICUS GEORGIUS BIRNBAUM

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

HUB. CHRISTIAN. WIELER, MED. ET CHIR. CAND.
FRIDER. SCHORNSTEIN, MED. ET CHIR. CAND.
IUL. AMELUNG, MED. ET CHIR. CAND.

COLONIAE,

TYPIS M. DUMONT-SCHAUBERG.

PATRI OPTIMO

D. D. D.

AUCTOR.

DE LEGIBUS

SECUNDUM QUAS FIXA, QUAE DICITUR, IDEA FORMATUR

IN VESANIS.

Quae apud varios scriptores de fixa, quam dicunt, idea conscripta leguntur, cum inter se conferimus, ubique formae admodum variae fixarum illarum idearum, ac causarum, e quibus prodiere, collectio diligentissima, neutiquam vero legum, secundum quas formantur, expositio accuratior atque penitior nobis occurrit; licet adesse leges viros doctos minime fugere potuerit, et ipsa legum quasi praesagia multa magis minusve luculenter adumbrata inveniamus.

Et sane si consideramus magnas illas difficultates, quas viri docti superandas habuere, donec tandem vera ubique vicerunt principia, variarum maxime inter se discrepantium sententiarum atque opinionum dissentiones, quae fuere componendae, donec contigit, ut inter caeteras artis nostrae divinae partes honestum suum locum obtinere posset variarum animi perturbationum doctrina, minime est mirandum, quod singula capita ne nunc quidem satis exculta videntur, gratissimoque iam animo accipere debemus tam aptam, tam bene accommodatam, quam undique viri docti contulere, materiem.

Sed etiam inter philosophos *Herbartius* primus vera animi perturbationum psychologiae funda-

menta [1]) posuit, praecipue eo, quod omnes animi facultates in una eademque repraesentandi facultate eiusque variis rationibus positas docuit et quid ad rationem iustam varie mutandam, imo perturbandam corpus valeret, demonstravit.

Docet enim, id quod novissimis temporibus etiam observatio atque experientia contra omnem oppositionem satis superque probavit, animi, qui videntur, morbos minime esse affectiones quasdam animi ipsius naturae inhaerentes, ipsique peculiares, proinde nec prodire ex hac natura animi ipsa mutata, sed solummodo esse animi e corpore provenientem perturbationem, qua in vesanis repraesentatio quaedam in animo formetur, dum corpus nimis debilitatum opponentes illi aut omnino reprimat et retineat, aut, si obvenientes ferre possit, certamen earum cum falsa illa et tensionem [2]) impediat, ita ut iusta adaequatio et combinatio vincere nequeat. Quo fieri, ut aut fixa idea immutata remaneat in animo, aut cum aliis falso modo sese coniungens omnino falsis associationibus sibi illas subigat, aut opponentibus omnino repressis ex corporis affectione, aut oppositione perfecta atque ad veram cognitionem ducente impedita.

Hanc sententiam, quam summo ingenii sui solertissimi acumine ductus probavit vir claris-

---

[1]) Die Psychologie als Wissenschaft, 2. Thl. Königsberg, 1824.
[2]) Utor hac voce fretus auctoritate J. M. Gessneri, qui in thes. lat. ling. s. v. nervorum tensiones e Scribon. Larg. e. a. laudat, nec enim *intentum* animum, sed *distentum* (in widernatürlicher Spannung), significari volo.

simus, ipso duce (nam in libro laudato ipse initium fecit), conferentes cum singulis, quae leguntur in virorum doctorum libris, fixarum idearum et causis et formis certas unamquamque leges formationis sequi demonstrare, qualesque sint, inquirere studeamus. Causas autem, quae ad animi perturbationem ducunt, aut solo in corpore sitas invenimus, dum in animo ipso nulla adsit dispositio, aut primum in animum ipsum agere videmus, ita ut ex illius affectione demum corpus mutetur atque ad morbum ducatur, quae varia oriundae fixae ideae ratio diversas prorsus sequitur vias.

CAP. I.

DE VARIA, QUA CORPUS AD FORMANDAS FIXAS IDEAS AGAT, RATIONE.

§. 1.

Si omnes corporis functiones bene peraguntur ac more solito, repraesentationes, quas movere possent in animo nostro, modo ne productio aliarum repraesentationum ex consonante illa animi facultatum cum corporis actionibus vi appareat impedita, ex consuetudine tantopere sunt debilitatae, ut quacunque alia repraesentatione in animo orta statim supprimantur, conscientiam igitur omnino fugiant. Sin vero modum excedunt solitum, si aliqua parte a norma vel consuetudine discedunt, statim repraesentationes, quas movent, luxuriantes quasi efferuntur, ita quidem, ut ab aliis reprimi

nequeant. Neque solum conditio illa insolita, sed etiam id simul agit, quod libera aliarum repraesentationum productio atque evolutio semper magis minusve impedita tum apparet.

Videmus enim etiam sensus communis mutationem, quae fame et siti atque evacuationum desiderio percipitur, si aliarum repraesentationum liberam actionem non impedit, sane repraesentationes in animum nostrum proiicere, quae autem repraesentationibus tum in animo versantibus prorsus supprimuntur, donec tandem corporis indigentia illa caeteras corporis functiones ita turbat, ut animi actione impedita repraesentationes aliae illas e sensu communi mutato prodeuntes non amplius reprimere possint. Tum enim vis illarum cum corporis molestia augetur, caeterarum minuitur. Idem fit, si morbo quodam sensus communis turbatur vel mutatur. Tum vero, si repraesentatio oritur quaedam e sensu communi turbato atque effertur contra alias, statim oriuntur in sanis oppositae atque ex ratione, qua perfecta combinatione atque adaequatione in conscientia perstant, oritur comparatio, qua iustis finibus circumscribitur illa e sensu communi provocata. Attamen quo maiore vi ex morbo illa protruditur semper in animum, eo maiore quoque oppositarum vi opus est, ut valeat iusta illa repraesentationum ratio, eoque maior fit oppositarum oppositio atque tensio. Si tandem corporis functiones ex morbo, qui turbavit sensum communem, aut alia ex causa magis impediuntur, non iam fert tensionem illam ex

oppositione ortam atque irritationem; morbus sensus communis turbati repraesentationem sustentat atque effert, evanescunt oppositae, evanescit comparatio, remanet fixa idea.

Repraesentationes autem, quae proveniunt ex communis sensus perturbatione, aut ex analogia sunt depromptae aut ex reproductione; saepe etiam falsam idearum associationem ibi agnoscimus. Simplex enim atque accuratior definitio sensus communis perturbati contingere omnino non potest, quum sit conditio quaedam insolita, perpetuo varians, et praesertim omnino subiectiva (si hac voce ut licet.) Quo certior vero accuratiorque, quo magis ad locum certum adfixus sensus perversus percipitur, quo minus simul aliae actiones animi hoc morbo turbatas sese praebent, eo accuratior quoque, eo magis naturae morbi accommodata repraesentatio inde orietur, atque idea fixa se praebebit. Multa exempla in libris adnotata invenimus, quorum nonnulla hic afferre sufficiet.

Vir quidam [3]) qui saepe colica laboravit acerbissima, sese movere noluit, quia e vitro consisteret. Hic perspicue falsam idearum associationem egisse videmus. Ex motionis enim dolore fragilitatis non solum, sed etiam fragilis rei, vitri, repraesentatio orta, quae cum conscientia morbi se iunxit, ad falsam illam se e vitro consistere, tertiam formandam.

---

[3]) Perfect, auserlesene Fälle über verschiedene Arten des Wahnsinnes, übers. v. Chr. Fr. Michaelis. Leipz. 1789, S. 258.

Mulier quaedam [4]) hilaris et sensilis anxietate animi affecta est maximo cum sensu magni doloris: saepe flatibus quoque laboravit, deinde tumor ortus est in abdomine capitis neonati magnitudine, qui admodum doluit. Se parturientem putavit et auxilium, ut sibi et infanti ferrent, imploravit. Reproductio ibi dolorum ex partubus, quos antea perpessa erat, ad fixam producendam ideam egit.

Aegrota illa *Esquirollii*, quae semper in dextro cubabat latere, pulsum arteriarum audivit atque putavit cerebri dextram partem liquefactam esse, et semper huc fluere. Videmus ibi et analogiam et falsam idearum coniunctionem.

Aegrotus alius [5]) putavit sibi aliquid in oesophago remansisse, atque inde cibos sumere noluit. Cadaver eius dissectum magnum ulcus naturae syphiliticae in oesophago ostendit.

Aves [6]) item alius se habere in ventre putavit, quas canere audiret, sed nil fuere nisi flatus [7]).

Nec vero reproductionem solam efficacem videmus et associationem, saepe etiam res externas mira quadam specie, quae, quum obstupefaciant animum, movent, qua de re infra disputamus.

Cupidines quoque et timor aliaeque affectiones animi ex sensu communi turbato saepe fixae ideae

---

[4]) Perfect, Annalen einer Irrenheilanstalt, übers. v. Heinc. Hann. 1804, S. 159.

[5]) Esquirolle, Pathologie und Therapie der Seelenstörungen, übers. v. Hille. Leipz. 1800, S. 223.

[6]) Esq. l. l. pag. 225.

[7]) Adde, quae narrat Reil, (Fieberlehre, Bd. IV. S. 295—98).

repraesentationes porrigunt, unde colligere licet, quid sit, cur vesani nonnunquam defunctos se habeant, de quibus vide, quae in altero capite dixi.

Quo magis animus aliis repraesentationibus est occupatus, eo minus proveniet fixa illa idea atque eo facilius ab aliis repraesentationibus reprimetur. Nam aliae repraesentationes, etsi saepe tantopere corpus afficiant, ut ex illa ipsa occupatione ex studiis e. gr. vesania prodierit, nihilominus, quum corpus tenacitatem quasi sit nactum, feruntur, et modo si desunt (si igitur necessarium deest ac consuetum irritamentum), tam debilitatae corruunt vires corporis fractae, ut certamen illud parvum et tensionem inde productam, qua falsa idea aliis ad iustos fines redigi possit, ferre nequeat. Ita multa invenimus exempla, quibus viri, si solito more occupati fuere, vel si de aliis sermo est, omnino prudentes, quin etiam peritissimi, aliis temporibus vel alio in colloquio vesani omnino apparent.

Rush [8]) habet complura exempla. Mulierem Pensylvaniensem vesanam diu in urbe circumvagatam, domum quum reducta fuisset, mentis compotem esse redditam. Item duos sacerdotes modo cum ascenderent in suggestum, prudentes fuisse, et iudicem modo in curia. Adeo sacerdotem Baltimorensem semper die Saturni, quo consuetus erat sacris orationibus suis operam dare, minus quam aliis diebus, vesanum fuisse.

---

8) Medicin. Beobachtungen und Untersuchungen über die Seelenkrankheiten, übers. v. D. Georg König. Leipz. 1825, S. 108.

Quo magis autem animi caeterae functiones sunt turbatae, eo levior etiam sensus communis perturbatio sufficiet, ut inde oriatur repraesentatio falsa, fixa idea. Saepe invenimus in vesanis et praesertim in dementibus ideas fixas ad corpus pertinentes, ita ut morbum vel affectionem localem invenire prorsus non possimus. Omnino vero, *Fr. Nasse* viro clarrissimo [9]) consentiendum esse existimo, qui semper ibi sensum communem esse mutatum contendit, eoque magis, quum plerumque hoc cernatur in hypochondriacis, qui semper ita sunt attenti in corporis functiones, ut ipsae levissimae mutationes, etiamsi sani sunt, conscientiam minime fugiant, ita ut saepe diceres, etiam actiones normales, quae ab aliis non sentiuntur, ab illis sentiri.

Accedit enim, quod fixa illa idea ex vi, quam exercet in voluntatem, saepe functiones organi alicuius retinet, atque ita, si ex ista retentione sensus communis perversus manet, se ipsam quasi in orbe agens in animo tenet.

Ille quem *Riverus* [10]) narrat urinam mittere noluisse, ut qui timeret, ne terram aqua superfunderet, fixam illam ideam non tenuit, quum urinam emisisset, ut eandem ex incendio magno servaret.

Tum enim retentione urinae soluta evanuit sensus communis mutatio simulque fixa idea.

---

9) Ueber die Diagnose innerer Krankheiten der Irren in dessen Zeitschrift für Anthropologie, 3. Vierteljahrheft 1826.
10) *Cf. Perfect* ann. pag. 343.

§. 2.

Cum vero corpus admodum functionibus suis animo inservientibus est laesum, tum sane sensus communis perturbatio repraesentationes excitat in animo neque tamen ad corpus istae pertinent. Repraesentationum aliarum actiones admodum impeditae sunt, ita ut adaequatio et combinatio idearum inter se iusta fieri non amplius possit. Oritur inde depressio animi, anxietatis et oppressionis sensus, et quum etiam animi praeclusio in conscientiam vocetur, repraesentationes ad corpus pertinentes paulatim reprimuntur, quia repraesentationes animi nimis depressi et impediti nimia vi, quam quod in animum ferri possint, opponuntur, atque in animo causam miserae conditionis inquirenti proveniunt repraesentationes illae, quae antea similem, si libera actione animi productae sunt, in corpore sensum effecere. Praecipue hoc invenimus in illis, quorum systema vasculosum admodum ex morbo affectum se praebet. Semper vero hic ideam fixam, cuius natura sane naturae morbi respondet, ex orbe priorum, quae in sanis praevaluere, repraesentationum depromptam invenimus. In hominibus minus eruditis nimirum semper magna valet propensio, numina quae sibi fingunt, in nos valentia accusandi. Magae, daemones totusque geniorum malorum grex eorum phantasiam semper occupant et iam a prima iuventute terrore ac timore implent.

Quid mirum, quod daemonomania multifariae formae in illis oriatur? Et saepissime illam quo-

que invenimus in eiusmodi hominibus, quorum vita solitaria vel otiosa vel mystico quodam, ut ita dicam, nimbo circumdata illusionibus phantasiae locum praebet aptissimum, veluti in pastoribus, molitoribus et metallorum fossoribus. Talem legem animum sequi etiam hac re demonstratur, quod plerumque daemonomania in mulieribus, praesertim annis climactericis cernitur. Nam tota vitae ratio, tota animi natura eas propensas facit ad meditationes religiosas. Contra tanta mala, quae etiam validis accidere solent, omnis spes, omne solamen in religione atque in Deo. Etiam multo minus, quum orbis occupationum tam angustus sit, quum semper animus magis ad se ipsum reducatur, contra curas varias et deprimentes sollicitudinum repraesentationes aliis repraesentationibus, uti viris sese praebent ex occupationibus variis, munitae sunt. Accedit quod animus muliebris propter molliorem et teneriorem naturam minus pertinaciter repraesentationem quandam sequi et cum aliis coniungere potest, quod ergo omnis meditatio minus accurata minus alte petita sit, ita ut religiosa meditatio multo magis, quam in viris, ad superstitionem inclinet. Omnia haec augentur annis climactericis. Infantibus paulatim adultis, viribus minutis, occupationes quoque minuuntur, et animus eo magis ad se ipsum atque ad meditationes religiosas ducitur, quo magis viribus minutis sedulitati frenulum imponitur. Quid mirum, si ex variis sensus communis perturbationibus, quae tum existunt, daemonomaniae omnes

formae in illis occurrant? Etiam in omnibus, quae inveni, exemplis semper facile explicari potuit ex orbe priore repraesentationum orta fixa idea, vel ad magas vel ad diabolum vel ad causas excelsiores alias agentes pertinens. Si vita minus pura imo scelerata antegressa est, eo magis prodibit talis idea, quum etiam insanis saepius e mala conscientia superstitiosae prodeant repraesentationes, superstitiosi timores.

Vir quidam [11]) in quo hereditaria praedispositio adfuit, multis rebus adversis laborans, tandem morte cognati dilecti moerore magno affectus incidit in manus sacerdotis e secta Methodistarum, atque postea morbo affectus putavit, se a Deo reprobatum esse atque irae eius subiectum. Mulier [12]) quaedam XLVI annorum admodum sensilis, mensibus utens parcis, irregularibus, anno XXXVI amore correpta viri, cui nubere non potest, tristís fit, se desertam habet atque vovet, se castam mansuram. Nihilominus postea virum patitur, et iam diabolo se traditam putat, ad infernales condemnatam poenas. Sanata e nosocomio post IV annos emissa rursus amore corripitur, ac deseritur. Statim recidit in melancholiam. A iuvene qui ei dicit, se esse Christum, ipsi diabolum timendum non esse, iterum seducta in daemonomoniam recidit, atque sese diabolum in corpore portare, qui illi mordeat cor, digitis stringat cu-

---

[11]) *Perfect* Ann. pag. 314.
[12]) *Esquirolle* l. c. pag. 258.

tem colli, impediat deglutitionem, sibi imaginatur, morbo complicatissimo affecta.

Mulier alia [13]) quae lanificio sese nutrierat, sponsum, a quo deceptam se sentit, derelinquit, et post annum alii nubit; sponsi vero, qui ultionem quaerit, corpus per virum quendam diabolo designari iubet. Annis climactericis iam animi perturbati vestigia prodens vespere quondam per complures horas sub divo dormit. Expergefacta magnum audit in capite susurrum, atque via progrediens septem pedibus supra terram effertur. Domum rediens sese a daemone obsessam habet ac precibus aliisque multis sacris remediis sese liberare conatur, at frustra. In utero semper diabolus serpentis forma sedet, licet non habeat talia, qualia caeterae foeminae organa sexus. Diabolus corpus ipsi abripuit, modo vivere videtur, nullis cibis (clam semper in abditis locis cibos sumpsit, et faeces deposuit) eget, quia diabolus nihil edit, et alia caetera [14]).

Videmus iuxta incertas illas sensus communis turbati repraesentationes alias etiam, quum turbatio ad locum quendam certum sit circumscripta, satis accuratas, naturamque morbi et affectionum localium bene indicantes repraesentationes, quae autem in talibus semper, uti in omnibus vesanis, falsae illi subiunguntur. In eruditioribus vero vel ad superstitionem et dubia scrupulosque religiosos minus proclivis semper alias invenimus, e

---

[13]) Esq. l. l. pag. 263.
[14]) Addo ad ea, quae narravi, pag. 265 et 267.

priore repraesentationum orbe depromptas repraesentationes, quae, uti dictum, oriuntur reproductione. Maximi momenti ad hanc rem illustrandam litterae illae sunt, quas conscripsit sacerdos quidam praestanti ingenio praeditus de ratione, qua formata est fixa eius idea, quas literas communicat cl. *Jacobi* [15]). Obstructionibus enim abdominalibus vasorum affectus multum anxietate semper et oppressione pectoris vexatur; sed quum cibos lubens sumat et cum appetitu, atque optime ferat, se morbo laborare non putat. Inquieto et anxio statim vita tota longa apparet criminum series et semper exspectat, se supplicio mortis affectum iri. Videmus iam alteram fixarum idearum seriem in illo, cum ad nosocomium *Siegburgense* pergeret, explicari. Quum enim depressio virium in illo orta se iungat cum irritatione, quae praesertim ex rerum externarum magna copia oritur, quam ferre nimis debilis non potest; omnes res ei maximo nitore, eximia magnitudine praeditae apparent, sed quo magis excellunt splendore et magnificentia, eo magis ei in conscientiam venit culpa atque exiguitas, dum tandem rebus externis non tam variis eum excitantibus et circumdantibus repraesentationes illae anxiae et deprimentes praevaleant. Secundum eandem omnino legem in aliis magni infortunii sollicitudinisque ob vitam degendam et multas alias occurrere videmus repraesentationes.

---

[15]) Beobachtungen zur Pathologie und Therapie der Seelenstörungen, S. 469 ff.

§. 3.

Uti vero in exemplis modo narratis depressionem vidimus, ita in aliis libera animi actio tollitur nimia irritatione. Corpus enim eorum nimis sensile nullam fert oppositionem repraesentationum differentium. Quodsi repraesentationes sibi oppositae aut non omnino consonantes oriuntur in animo, statim altera alteram impedit, sed quum corpus debilitatum combinationem non ferat et adaequationem, oppositio illa solvi non potest. Alia igitur semper alia egeritur repraesentatione et oritur inde tensio semper ingravescens et inquietus quidam animi vacui sensus. Desiderium inde oriens vacui illius implendi vehementissimum omnem rerum externarum ad animum nostrum relationem omnino mutat. In illis, de quibus modo dictum est, animus ipse, quum deprimentes in eo praevalerent repraesentationes, fixae ideae formandae materiem praebuit. Quum vero in his repraesentatio prorsus nulla praevalere possit, si animus tensionem non amplius fert, unaquaeque res externa, modo paullulum consuetudinem si excedit, statim repraesentationem in animo excitat, quae quo magis oppositio variarum repraesentationum corpus incitaverit, eo maiore vi omnes caeteras ex animo expellens cum similibus et cognatis in animo tum versantibus vel actione animi nimis incitati productis associatione iungitur. Oritur inde variis coloribus praedita phantasiae imago, quae si causam externam non nosses, nullam legem sequens orta videretur, nulloque cum caeteris in animo versan-

tibus repraesentationibus vinculo coniuncta. Eo magis vero exculta apparebit, quo magis aut irritabilitas corporis est aucta, aut animus irritationi illi restitit, quum eo maiorem repraesentationum caeterarum tensionem fuisse iudicandum sit. Hic sensus vacui cuiusdam non totum semper animum occupat, saepe in sola illa repraesentatione, quae e corporis sensu communi affecto oritur, existit, quae omnino incerta atque vaga opponentes superare non potest. Si vero irritabilitas corporis nimis est aucta, tensio in animo nulla cernitur, quum non ferretur. Tum modo res externae tanta vi agunt in animum, ut, oppositio nulla quum feratur, statim repraesentationes inde ortae vel reproductione provocatae associatione inter se iungantur. Ratio vero, qua statim res externae recipiuntur, affatim indicat, omnibus his in casibus, animum repraesentationibus, quae nimiae illi incitationi corpore productae respondeant, omnino carere.

Luculentissimum conditionis illius exemplum nobis narrat cl. *Jacobi* [16]). Vir quidam vesania cum magna exaltatione coniuncta affectus narravit, se magnum quoddam scelus commisisse atque vesania punitum, precibus vero matris Mariae liberatum esse. Nunc se esse prophetam Dei, qui mundi interitum nunciaret omnibus, et adesset, ut certamen iniret cum Antichristo. Istum per tres menses, incognitum domi suae habitasse, atque secum laborasse

---

16) Nasse, Zeitschrift für Anthropologie, drittes Vierteljahrheft 1826, S. 77 ff.

(fuit caminorum purgator) atque se saepe eius nomen, quod Hellequeies fuerit, in libro legisse, cuius initio caput bovis inscriptum esset. Erat e familia in egestatem redacta, et cum initio literarum studiis vacasset, tandem caminos purgare didicit. Ardente quondam domo aqua perfusus summo refrigerio adfectus domum revertit. Ex illo inde tempore mens debilitata. Saepe per quadrantes horae partes totas cogitandi facultate privatus stetit, saepe per longum tempus unum modo verbum, unam repraesentationem semper repetere se coactum animadvertit. Videmus igitur, quam vacuus ex oppositarum repraesentationum cohibitione sese invicem e conscientia reprimentium fuerit animus, quam magna inde orta sit tensio et vacui illius implendi desiderium. Tum vir quidam Niels Hendrich Hellequeies, laborum socius, qui libellum habebat, in cuius prima pagina caput bovinum impictum erat, domum eius venit atque conditionem viri percipiens saepe iocose dixit, se eum artem esse docturum, qua Deum telo interficere posset. Iam desiderio vacui implendi satisfactum, quum adesset repraesentatio, quae cum irritatione corporis congrueret.

Aliud exemplum narrat *Gooch* [17]). Mulier quaedam post partum mania puerperali affecta, quum quondam ad fenestram cubiculi stans videret lignum ardens de domo incendio correpta propinqua decidere, e nitore ligni ardentis ad magnificentiae

---

[17]) Cf. ej. Weiberkrankheiten, 3. B. der klinischen Handbibliothek. Weimar 1830. S. 59.

repraesentationem abrepta, se sanctorum splendore circumdatam, matrem Christi Virginemque Mariam esse putavit. Pertinent huc mulieres illae, de quibus *Rush* [18]), quarum altera, quum adspexisset phasmagorias, quas dicunt, semper se circumdatam putabat portentis, et altera, quum vidisset puellam, quam publice annunciaverant invisibilem, putavit, omnia, quae etiam maxime summissa loqueretur voce, ab aliis audiri posse.

Memorandus etiam iuvenis, de quo *Esquirollius* [19]), qui in urbe, cui nomen Die habitans, prope ad quam rupes sita est, U nominata, falsa idearum associatione ductus primum omnes Dienses, tum patrem Deum (Dieu) esse se putabet.

Cox [20]) narrat de melancholico robusto viro XXXVI annorum, saepe sine ulla causa ad modum tristi et depresso, qui, quum saepe in literas cucumberet, vires animi admodum intendentes, nullos alios cibos sumens, nisi vegetabilia et aquam, valde est debilitatus. Ancilla eius saepe imploravit, ut amicis talem vitam dissuadentibus obsequeretur. Tum suspicio in eo orta est, ab illa tunica venenata infectum se esse.

Saepe etiam, cum organorum systemata certa affecta sunt, ex illa perturbatione praesertim certae quaedam repraesentationes in animo efferuntur; ita saepe aucta genitalium irritabilitate repraesen-

---

18) L. l. pag. 108.
19) L. l. pag. 12.
20) Jos. Mar. Cox prakt. Bemerkungen über Geisteszerrüttung, übers. v. Bertelsmann, mit Anmerk. v. Fr. Nasse. Halle 1811, S. 62.

tationes lascivae oriuntur. Iam, si nec opponentes superare possunt, nec ab opponentibus superari, ex tensione illa oritur repraesentatio in animis, se amore affectos esse, quae vero, si non amore infelici oritur, semper associatur cum hominibus, qui vix noti sunt homini vesania affecto, quia repraesentatio illa, si hominem tangeret cognitum, irritationi animi ex corpore ortae non responderet, tensionemque non solveret, adeo augeret. Nam ad tensionem illam solvendam opus est repraesentatione quadam magis exaltata, nova, quae, quum sit insolita, maiorem vim exercet. Erotomaniae variae formae hanc ob causam saepe pertinent ad homines vix cognitos. Nec minus huc est numerandum, quod *Rush* [21]) habet. Mulierem vesanam putasse, se adulterium commisisse, et casu fortuito compertum esse, ipsam virum, quocum crimen commisisse se contendebat, minime nosse.

§. 4.

Si in talibus apparet sensus communis perturbatio quaedam certa atque ad locum certum adfixa, illa quoque, quum animus repraesentationem ex reproductione vel analogia formare ex irritatione, quam corpore patitur, non possit, ex analogia et reproductione non depromitur. Tum res externae etiam ad hanc explicandam saepe auxilio vocantur, et tum oritur fixa idea, quae nos nihil prorsus de natura affectionis docere potest. Ita oritur in illis, qui de magnetismo audivere, vel fluido electrico sese exposu-

---

[21]) L.. l. pag. 29.

ere, opinio, se ab aliis electricitate vel magnetismo affici. Ita fortasse illarum fixarum idearum, in quibus formatis lex omnino abesse videtur, magna pars orta est. Nam etsi de his nihil accuratius dicere possumus, quia partim causae vesaniae, partim res, quae in vesanos egere, incognitae sunt, tamen, quum tam multis in exemplis et ipsis admodum mirandis legem certam animum secutum esse videamus, experientia et philosopha meditatione ducti etiam repraesentationes illas non solum lusu phantasiae ortas, sed secundum certas leges productas esse contendimus. Innumerabilia enim praeter supra commemorata apud auctores narrata invenimus, in quibus legem certam manifestam habemus. Et quam leviuscula saepe sit res externa, quae ad fixam ducat ideam vel solo exemplo, quod narrat *Esquirollius*, [22]) docemur. Exactor quidam post gravia studia ad reditus publicos et vectigalia pertinentia mania afficitur, quae transit in melancholiam cum perturbatione et paralysi. Quum quondam bibere non vult, Esquirollio, ipsi ut bibat, imperanti respondet: vin tu nequam, ut fratrem meum interficiam? Esquirollius observat, illum in amphora imaginem suam videre; obvoluta igitur amphora statim bibit.

Memorandum sane exemplum etiam propterea, quod est e rarissimis illis, quae probabile faciunt, interdum etiam ideas fixas oriri posse, ad functionem aliquam partis corporis pertinentes, sensu com-

---

[22]) L. l. pag. 14.

muni minime laeso, quum praeterea optime doceat, quales hae sint affectiones.

Etiam illa exempla igitur, quae narrantur, fixas ideas, cum putaret alius se gallum esse vel leporem, felem, canem, alius se affectum, esse hydrophobia, cancre, aliisque morbis, alius se mortuum esse, et totam similium turmam, secundum certas leges ortas esse, dicere possumus, et praesertim in fixis ideis morborum, quibus affecti sibi videntur, idearum falsa associatio facile plerumque agnoscitur. Etenim animo turbato, maloque magno ingruente, cuius repraesentationem accuratiorem concipere non possumus, sufficit, ut audiamus vel audiverimus de morbo aliquo gravi, imprimis qui nostrae affectioni paullo similior est, ad iungendam hanc gravis mali cum nostri morbi repraesentatione, quum ex morbo ipso opponentium vis omnino sit fracta. Pertinent huc quoque tam varia tamque magna sensuum nostrorum ludibria quorum *Reil* [23]) habet magnam collectionem.

Eo difficilius autem hic leges accurate inveniendae sunt, quum iam in ratione animi cum rebus externis ita mutata, ut statim omnes repraesentationes rerum externarum sese teneant in animo, nec subiungantur fixae nostrae ideae, ad fines pervenesimus vesaniam inter et dementiam vel potius ad transitum vesaniae in dementiam. Leges enim, quibus formantur repraesentationes in vesanis, omnino aliae, quam in dementibus, in quibus

---

[23]) Fieberlehre. Th. IV. S. 311. ff.

vivida illa idearum productio atque reproductio et in animo sitarum et extra, affatim probat, animum omnino corpori subiectum legibus iam fere destitutum esse.

CAP. II.

DE VARIA, QUA ANIMUS AD PRODUCENDAM VESANIAM AGAT, ET FORMANDAS FIXAS IDEAS, RATIONE.

§. 1.

Animus ad quietam meditationem, ad iustam omnium suarum repraesentationum rationem consuetus difficile corporis viribus subiicitur, difficile perturbatur. Et si conferimus historiam animi perturbationum, sane tam saepe non solum corpus sed etiam animum egisse ad perturbationem videmus, ut minus strenue vituperemus *Guislainium* [24]), contendentem causas physicas nullius prorsus esse momenti, si respicias causas psychicas. Attamen, quum animus nunquam solus ad perficiendas animi perturbationes agat, quum semper corpus afficiatur necesse sit, multas formas vesaniae animo adscribimus, quae ex consonante corporis cum animo vi noxia ortae sunt. Separatio igitur causarum difficillima est, aut potius dixerim, omnino fieri accurate non potest. Celerrime et ratione maxime perspicua ad animi perturbationes agere videmus motiones illas vehementiores et magis subitaneas,

---

[24]) Traité sur les phrénopathies, ou doctrine nouvelle des maladies mentales. Bruxelles 1833, pag. 8.

affectus dico et passiones. Quocirca de his primum disputabimus.

§. 2.

Quanquam vero affectus excitantes vehementissime saepe animum concutiant, tamen mirum est, quam raro soli illi ad perturbationem animi ducant.

In affectibus enim excitantibus ex una illa, quae agit ad affectum producendum, solvuntur caeterae repraesentationes, ita ut oppositione iam sublata libere et celeriter ad summum fastigium proveniant. Multo minus igitur hic praevalet illa repraesentatio, sed pendet simul ex vi, qua excitationem sequentes aliae repraesentationes ex oppositione solvantur, atque libere efferantur. Videmus igitur, affectus excitantes non tam subitanea ratione sese evoluere, sed potius sensim sensimque augeri, quo facto corpori spatium datur, quo se ad vim, quam exercet commotio affectu producta, perferendam praeparare possit atque aptius fieri, ut possit talem repraesentationum actionem nimis excitatam functionibus necessariis comitari.

Cumque affectu ad certum quendam gradum progresso oppositio repraesentationum tandem prorsus evanuit, illae aliae iuxta alias celerrime ad summum fastigium scandentes summam exercent in corpus vim, atque tali ratione cum vi potuum spirituosorum nimia copia sumtorum sunt conferendae. Brevi tum exhauriuntur vires corporis et affectus minuitur, antequam permutationem corporis morbidam graviorem, diutiusque perstantem, atque inde perturbationem animi et fixas ideas efficere po-

tuit. Uti in hominibus ebriis somnus indicat, iam corporis vires ex incitatione exhaustas esse, ita ut augeri nequeat, ita etiam in hominibus affectibus excitantibus commotis saepe, affectu ad maximum gradum elato, inversio subitanea conditionis exaltatae indicat reactionem corporis contra vim affectus nimiam et quae perniciosa eum consequuntur, expergefactam. Si vero iam ante summam evolutionem opponentes repraesentationes tanta vi prodeant, ut ex affectu incitatis resistere possint, iam inde oritur adaequatio omniumque repraesentationum ad rectos fines revocatio, quae rursus vim animi noxiam in corpus agentem prohibet.

Accedit, quod affectuum illorum excitantium leviores gradus ex consonanti omnium repraesentationum decursu vires omnes vitales augent, unde fit, ut iam corporis facultas aucta noxiae illi ex animo provenienti contentioni firmius possit resistere. Omnino consentiendum igitur censeo *Guislainio* [25]), qui nimio gaudio productae vesaniae prorsus nulla esse contendit exempla, nisi si affectiones passionesque deprimentes sint praegressae; nec solum de gaudio, etiam de caeteris affectibus excitantibus hanc sententiam valere contendimus. Quod secus est, si plures simul in animum nostrum agunt affectus, vel si agunt in animum pas-

---

[25]) L. l. pag. 23. cf. etiam *Pinel*, Traité d'aliénation mentale. Paris 1809, pag. 34 et 35. Aliter iudicat Fries (Handbuch der psychischen Anthropologie II. S. 42 ff.) nec tamen exemplis sententiam probat.

sionibus multis iam alienatum atque commotum. Aliter autem omnino res se habet in affectibus deprimentibus. In his enim omnia pendent ex vi, qua repraesentatio illa in affectu dominans agat in animum, minus vero ex vi, qua repraesentationes tum in animo versantes ibi teneantur. Quae repraesentatio si admodum violenta provenit, atque subitanea ratione, subito omnes alias deprimens et celerrime animo oppositam seriem incutiens vehementissime omnem corporis vim concutit, et facillime quidem ex concussione illa, quum omnium virium cum depressione subitanea sit iuncta, ita debilitatur corpus, ut, una illa repraesentatione in animum elata, quamque actionem animi ad illam iustis finibus circumscribendam aliis repraesentationibus non amplius ferat. Si vero ratione minus subitanea agit, repraesentationes, quae tum in animo versantur, resistere huic violenter ingestae possunt, unde fit, ut vis illius, si animo non contingit, ut supprimat, semper crescat, quum etiam aliae cognatae ex motione animi proveniant. Affectus vis igitur multo magis produci potest, atque corpus per se minus est munitum contra vim illam noxiam, quam in affectibus excitantibus. Commotio igitur corporis ex animo non solum multo vehementior est, sed etiam multo diutius potest perstare.

Quo vehementius autem, quo crebrius in animum ingeritur repraesentatio illa, quo celerius igitur omnes alias deprimit, eo minus mutatam illam in fixa, quae inde oritur, idea rursus invenimus.

Mulier quaedam de qua *Esquirollius* [26]) quae filium ex equo decidere vidit, atque inde maximo effecta est terrore, illum etiam cum vivum videret, mortuum esse putavit.

Alia [27]) ob fures domum perfringentes tanto terrore est affecta, ut deinde quolibetcunque adveniente fures irruere clamitaret.

Itidem illa, quae in rixa furis nomine afficitur, putat, se ab omnibus hominibus furti accusari.

Nec pendet solum ex celeritate, qua agit repraesentatio, sed etiam ex vi, qua subiicit sibi alias, maiore minoreve. Si aliae enim diutius resistunt, illa etiam, quum deprimi non possit, ex pressu, quem fert, semper magis efertur atque explicatur, vim augens aliis, quas in animum provocat, repraesentationibus, ipsi similibus. Semper vero, etiam si sic explicata atque exculta admodum adpareat mutata, facillime repraesentationem, quae egit, dominantem agnoscere possumus. Si vi quadam semper protruditur una repraesentatio maiore, immutatam et ipsam in animum infigi ex his, quae *Esquirollius* [28]) laudat, exemplis elucet:

Pausanias servi, quem occiderat, portento usque ad mortem est vexatus, et Theodoricus, quum Lysimachum interfecisset, caput eius in pisce, qui forte ad coenam adportabatur, aspicere se putavit.

Itidem Santerre, homo admodum infamis, semper sese ab adparitoribus agitari putavit.

---

26) L. l. pag. 210.
27) *Esq.* l. l.
28) L. l. pag. 209.

Simili modo omnes res externas in animum agere videmus, si ultra iustam morem eum commovent atque afficiunt.

Lex in omnibus his exemplis eadem, sed repraesentationes ipsae e causis agentibus variant. Quamvis vero una eademque re temporibus variis varios affectus in animo oriri videamus, tamen homines ex rebus externis magis minusve semper simili ratione affici solent, id quod non tantum ex animi conditione unicuique propria pendet, sed etiam ex corporis sensatione variisque virium conditionibus. Eadem res, quae alium timore afficit et terrore, alium implet indignatione. Non opus est, ad singula affectuum genera singulas leges afferre, generalia sufficiunt.

Praefectus quidam [29]) urbis qui, se rebellionem adiuvisse incusatus est, infamia se notatum putat, ab exploratoribus circumdatum, voces audit eum accusantes, se socios prodidisse, omnibus, quas novit, Europae linguis utentes.

Iuvenis quidam [30]) mercenarius fraudis accusatus, etiam cum crimine et culpa omni liberatus esset, semper ab hominibus se putavit circumdatum, qui male sibi vellent et odiosis consiliis eum persequerentur.

Vir quidam XXX annorum [31]) fratrem magna cum diligentia et cura custodit, qui sibi ipsi manum inferre vult. Omnis eius cura frustrata est, et fra-

---

[29]) *Esq.* l. l. pag. 9.
[30]) *Guislain.* l. l. pag. 18.
[31]) *Esq.* l. l. pag. 236.

ter, quod misere cupit, efficit. Statim ille sibi imaginatur, non satis vigilem se fuisse, et ob negligentiam suam ab cognatis rationem repetitum iri.

§. 3.

Minus celeriter, quam affectus, ad animum perturbandum agunt passiones, quum ipsae minus per se ducant ad vesaniam, sed multo magis dispositionem quandam inducant in animum. In his enim, quum una repraesentationum series omnino praevaleat, omnesque alias oppositas depressas teneat, quid mirum, quod tensione animi illa perpetua corpus tandem ita debilitatur, ut etiam leviores animi commotiones iam non possit ferre, praesertim quum in hominibus, quorum passiones admodum sunt adultae, res externae ad repraesentationem dominantem respicientes aut eius augentes vim, aut provocantes in animo opponentes, semper magnam animi producant commotionem, ex certamine ipso repraesentationum semper excitato provenientem? Videmus igitur tales homines ad affectus admodum propensos, et quidem singulae passiones ad certos quosdam magis inclinant affectus. Avaritia cum timore arcte est coniuncta; ambitio et coecus sui amor cum indignatione et ira.

Si affectus proveniunt deprimentes, augent vim illius, quae iam ex passione caeteras suppressas tenet, ita ut caeterae omnes evanescant. Haec vero ex longa illa intentione, qua illas repressit, vim praebet tantopere auctam, ut affectus deprimentis repraesentationibus dominantibus superari nequeat, licet etiam deprimentes illae, quum producant af-

fectum, statim deprimi non possint. Si tum corpus nimis debilitatum oppositionem iam nullam, perfert, fit, ut se inter se iungant, ad unam repraesentationum seriem. Ita avarus, qui semper passione ad pecuniam pertinentibus repraesentationibus, affectu vero timoris cruciatur, quolibet, quem audit, etrepitu terretur. Iungit se repraesentatio argenti, quod possidet, cum repraesentationibus, quas movet strepitus, ad unam eandemque, fures adesse, qui aurum ei abripere velint.

Simili modo mercator ille post iacturas quasdam leviores nihil edere vult, quia tantos sumtus iam ferre non possit [32]).

Sin vero excitantes in homine tali praevalent affectus, statim ex affectu vis repraesentationis in animo dominantis ita augetur, ut subito contra omnem oppositionem sese efferat, et omni vi affectus, repraesentationes cognatas semper altius progredientes, evocans, exagitata appareat.

Ita in illo [33]), cui, quum legatus fuisset, inde revocato munus, loco, quem obtinuerat, et ambitioni haud respondens mandatur quique regem se habet, creat atque dimittit imperii sui ministros, vult, ut unusquisque, cum venit, humi se prosternat, honores prodigit atque divitias.

Mercator [34]) quidam superbus, suspiciosus, nunquam contentus, quum fecisset plures iacturas, iam ipsa natura ad lites et rixas admodum propensus,

---

[32]) *Esq.* l. l. pag. 210.
[33]) *Esq.* l. l. pag. 222.
[34]) *Rush* l. l. pag. 210.

subito omnes familiares offendere studuit, inquietissimus, syngraphas scripsit ad solvendas pecunias, a mercatoribus, quos haud norat, maximas, omnes homines infra se positos despexit et fugit, decreta perfecit, summa gravitate et ambiguitate decies ad vicies mille libras aureas deposuit in aerariis publicis, modo concellarius summus sibi visus, modo dux Bataviae, modo rex Hispaniae.

Iure igitur iam *Esquirollius* notat rationem illam fixas plerasque ideas inter et certas passiones deprimentes et tristes. Neque solum de deprimentibus et tristibus, sed etiam de excitantibus id valet si agunt in homines iam dudum deprimentibus vel repraesentationibus et affectibus vel passionibus laborantes [35]).

Addam duo exempla ab *Esquirollio* relata, quae clarissime demonstrant, res externas, quae agunt in animum ipsas, ad formandas fixas ideas non tantum valere, quantum affectus, quos provocant in animo, et passiones.

Dux [36]) quidam militum loco remotus, quem obtinuerat, admodum inde irritatus est, et quondam ambulans per forum, quod dicitur Vendome, non videt columnam Ludovici XV. et ipsam a rebellatoribus deletam putans in poste sese collocat Ludovici XV., unumquemque a transitu prohibet. Amor *sui enim violatus* ei in memoriam revocavit, quantopere de patria sit meritus,

---

35) Conferri possunt, quae *Fries* l. l. (Thl. II. Cap. 3.) praesert. pag. 130 sqq. de his rebus disputat.

36) *Esq.* l. l. pag. 8.

quantopere meritus fieri cupiat in diversis patriae periculis.

Miles [37]) alius exauctoratus, sese infamem factum putat et a commilitonibus sibi obtrectari, quare ubique se defendit.

Videmus igitur ex eadem causa, secundum affectus, quos exitat, varias prodire fixas ideas.

§. 4.

Nec vero affectibus modo atque passionibus i. e. non tam vehementi atque subitanea ratione in animum nostrum agunt res externae, res adversae domesticae vel publicae, egestas, caeterae, quas singulas causas in virorum doctorum libris enumeratas invenimus; saepissime etiam, si animum vehementer commovere non possunt, at repraesentationes deprimentes in eo producunt, quae cum ita sustententur, etsi in animo sano magnam oppositionem inveniant, reprimi non possunt. Prodit ex hac conditione, ex hac repraesentationum liberae actionis cohibitione sensus quidam molestus depressionis, qui paulatim corporis vires frangit. Sed quum depressio perpetua omnino ferri nequeat, quin vires celerrime exhauriat, semper repraesentationum series quaedam illi, quae rebus externis animo obtruditur, contraria provenit, et contra opponentium illarum tensionem sese in animum efferre studet. Iam et illa cum caeteris oppositis certamen init, etsi animus tandem certamen illud ob vires corporis eo nimis debilitatas susti-

---

[37]) L. l. pag. 210.

mere amplius nequit, ſit, ut eadem vi, qua opponentes caeterum in animo versantes antea alia aliam intendebat, tertia illa prorumpat et opponentes e conscientia deprimat. Tum corpus sani ceteroquin hominis paullatim vires suas colligit, ita ut res externae iam rursus repraesentationes in animo movere possint, atque etiam oppositae illis rursus emergant. Ex hac duplici repraesentationum productione tum illa reprimitur. Aliter vero, si corpus iam oppositionem prohibet. Tum quo maior antea fuit serierum oppositarum vis, quo maius certamen, eo maiore cum exagitatione tertia illa, quam animus produxit, ut depressionem perpetuam effugeret, effertur in animo et ad fastigium summum adscendit. Videmus tali modo cupidinum, spei, repraesentationes iam omnino animum tenere et maxima phantasiae exaltatae vi proferri.

Homo [38]) quidam sperat, fore ut post mortem amitae magnas divitias hereditate nanciscatur, at ea spes frústratur. Accedit quod casu infelici partem suarum opum amittit. Tristissimus vivit per complures annos, tum, subito hilaris amitam etiamnum vivere, seque opes eius hereditate accepturum opinatur.

Vir quidam Iudaeus, quem ipse observavi, domum emerat, quum aliam meliorem et statu et situ minore pretio emere posset, atque suorum obiurgationibus saepissime cruciatus, ipse se multum diuque vexavit. Tandem mira hilaritate animatur

---

[38]) *Guislainius* l. l. pag. 39.

atque se magnas pecunias nactum esse contendit. Multas pauperibus dat, multas rebus futilibus effundit. Narrat tandem, se domum emisse ab opulento nescio quo viro relictam, et numerus domorum, quas emisse se putat, crescit de die in diem. Videtur iam sibi locupletissimus, magnas summas dono dat, vult peregrinationes et talia. Tandem rex factus honores dono dat et opes, donec paulo post in dementiam incidit.

Videmus tali modo ex cupidine saepe repraesentationes illis, quae antea in animo versabantur prorsus oppositas nasci et invalescere.

§. 5.

Aliae fixarum idearum formae existunt e vitae ratione subito mutata. Tum enim totus repraesentationum solitarum orbis deseritur, et novus omnino ordo in animo producitur. Talis vero conditionis inversio, praesertim quum corpus item irritatione solita privetur, non solum eo noxia fit, quod subito corpus repraesentationum omnino contrariarum formationem sustinere cogitur, functiones igitur eius nulla antegressa praeparatione, subito invertuntur, sed etiam eo, quod ex irritamentorum consuetorum defectu admodum iam debilitatum apparet. Nec aliter fieri potest, quam ut tum novus repraesentationum ordo diversis ab ordine consueto rationibus impediatur et cohibeatur. Oriuntur oppositiones variae tensionesque repraesentationum oppositarum. Quam oppositionem, quamque tensionem si corpus ferre non potest, uterque repraesentationum ordo alter iuxta alterum

sine ulla coniunctione et combinatione ita tenetur in animo, ut altero proveniente alter recedat, et vices vertat. Pertinet huc fortasse exemplum quod refert *Herbartius* [39]), et oritur inde quasi duplex persona in unam coacta. Uberius de hac re Herbartius egit, quem hoc loco laudare sufficit.

Ex eodem genere est, et congruens cum Herbartio quod *Rush* [40]) habet exemplum. Filia Angli munere publico fungentis, liberaliter et splendide educata nupsit sacerdoti methodistarum et statim incidit in vesaniam, qua pristini moris hilaritatem recuperabat, francogallica lingua utebatur, sectae methodisticae instituta irridebat. Lucidis intervallis harum rerum prorsus immemor secundum sectae illius rationem moresque vixit. Erat ibi vesania quasi reactio corporis contra vim vitae mori solito contrariae. Saepe vero (tenendum enim ibi hoc est, tali modo animum non perturbari, nisi vitae ratio ista superiori conditioni contraria deprimens atque submissa est) corpus irritatione carens oppositionemque et adaequationem non perferens, repraesentationum illarum contrariarum vehementiae cedit, atque oritur tum sensus communis talis ratio, quae iam per se oppositas omnino repraesentationes necessario produceret. Praesertim vero tum repraesentationes oppositas gravius invalescere videmus, cum repraesentationes priores vitae ratione, quam effecere, corporis vires fregere

---

39) L. l. Tom. II. pag. 507—8. ex *Reil* Rhapsod. pag. 74.
40) L. l. pag. 133.

et morem modumque excessere; postremo ubicunque iam in sanis repraesentationes deprimentes et angentes ex memoria prioris vitae priorumque repraesentationum provocantur. Unde fit, ut in scelestis, praesertim in lascivis hominibus, postquam aut proprio Marte aut alia ratione ad vitam meliorem vel ipsam strenuam, rediere, daemonomaniam plerumque inveniamus: Idem in causis est, cur morbos genitalium tam saepe comitari soleat. Alteram supra vidimus. In altero exemplo vidimus, oppositionem repraesentationum novarum cum prioribus prorsus nullam fuisse, in altero statim priores repraesentationes a nova serie suppressas. In aliis vero usu venit, ut oppositionem ineant et animus combinationem adaequationemque contrariarum serierum efficere studens, coniungentem tertiam seriem producat. Vix enim opus est, ut addam in omnibus his conditionibus priores repraesentationes oppositis ex legibus reproductionis provocari. Ita in lascivis timor poenae aeternae et repraesentationes e scrupulis natae provocant usque vitae lascivae prioris memoriam, et altera series per alteram semper effertur atque exagitatur. Componens vero et adaequans intervenit religio, tutela Dei et sanctorum adiuvantium. Attamen quum deprimentes repraesentationes semper magis amplectantur, reproductas dico vitae prioris, quum ex oppositione utraque series semper augeatur, etiam tertiae illius vis augeatur necesse est, ut possit reprimere geminatas illas nimis invalescentes et adultas.

Oritur inde magna animi commotio, qua etiam corpus admodum exagitatur. Postremo exagitatione debilitatum iam non fert certamen illud, ipsaque exagitatione maxime effertur tertia, adaequationem assequi studens, et deprimit deprimentes ex timore ortas et scrupulis. His vero depressis simul vis reproductarum inde prioris vitae repraesentationum minuitur, et tertia illa summopere exagitata religiosa, sola perstat in animo fixae ideae instar. Ita lascivi saepe vesani tandem facti sibi Deum admodum favere, se sanctos, angelos vel Deum ipsum esse, se visionibus uti religiosis et quae alia plerumque ex debilitato per intemperantiam veneream cerebro [41]) oriri solent.

§. 6.

Iam denique in animo ipso sitam invenimus aliam causam. Quodsi enim animus repraesentationes quasdam continuo producit ita, ut caeteris maxime praevaleant, tandem ex consuetudine vis earum tanta fit, ut opponentes illas ad certos fines redigere non amplius possit. Ex hac perpetua exagitatione corpus incitatur simul et nimia illa irritatione debilitatur, ut non solum oppositionem iam non ferat (quo fit, ut repraesentationes illae semper in animo productae infixae quasi haereant), sed etiam animum ad maiorem semper evolutionem illarum, quae adsunt, exagitet. Talis animi conditio proxime accedit ad passiones. Videmus ita

---

41) Cf. *Jos. Hartung* de cognoscendis corporis affectionibus ex mentis alienat. diss. inaug. Bonn. 1827. Cap. I. facultas repraesentandi.

agere meditationem acriorem et subtiliorem, modum omnem et rationem excedentem, et praesertim futilem atque inanem, aut in rebus collocatam, quas homines assequi nunquam possunt [42]). Ita studiis ac religionibus animum hominum inverti videmus. In recte institutis studiis in vera meditatione religiosa quid possint perferre homines, ut non turbetur animus, satis constat. Et sane, si alia ratione corpus ita morbo afficitur, ut animum perturbet, etiam fixae ideae in his rebus valere possunt, numquam vero iusta studia religiosa vel alia per se ducent ad vesaniam [43]). Animo autem tali ratione perturbato, id quod eo facilius fit, quo magis talia studia commodis externis assequendis, cupidinibus igitur et passionibus nutriuntur atque excitantur, saepe ex idearum ad summa quaeque tendentium falsa audacissimaque associatione imagines invenimus phantasiae monstrosissimas, in quibus vero semper dignoscere possumus ideam primariam [44]).

Tali modo factum est, ut per obscura atque fanatica medii aevi tempora tam multa provenirent daemonomaniae tamque varia exempla; inde etiam nostris temporibus in America septentrionali ex sectarum, methodisticae imprimis, mira et aus-

---

42) Veluti qui quadraturam circuli, quam vocant, perpetuum mobile, i. g. al. invenire studuerunt, sive qui invita Minerva, quae sunt in philosophia recondita perscrutantur, sive qui ecstasi correpti dicuntur, de quib. vid. *Fries* l. l. (Th. II. S. 87 ff.).
43) Cf. Kant's Anthropologie in pragmat. Hinsicht. S. 146.
44) Cf. *Pinel* l. l. pag. 43 et 44.

tera superstitione [45]) tam multa orta invenimus daemonomaniae exempla in scriptoribus, qui illas terras visendo norunt. Ita quoque alchymia et libri cabalistici olim multorum mentes perturbavere.

Nec absurdum mihi videtur huc referre *Rushii* [46]) illud, quod vir quidam narravit, se complura metalla iam in aurum mutasse, et in India virum vivere, qui elixirii a se inventi virtute iam DC annorum aetatem attigerit.

Cox plura collegit huius generis exempla. Vir [47]) quidam hilaris et alacer subito tristis fit et depressus, quia libris lectis opinio in ipso orta est, sese contra spiritum sanctum peccasse, a gratia Dei desertum et eius potentiae expertem esse.

Vir [48]) melancholicus et emaceratus, egregie eruditus, quum perpetuis studiis mercatoriis debilitatus esset, sensus communis perversi varietates accuratissime observavit, multis remediis usus est, complures libros medicos populares legit donec in eo idea fixa orta est, malum suum provenisse ex repressa scabie.

Vir [49]) XXV annorum moribus severis in studiis vagus plura animalia dissecuit, et plures scriptores medicos legens, semper remediis variis est

---

[45]) De quibus vid. int. al. Hamilton, Die Menschen und die Sitten in den vereinigten Staaten von Nordamerica, Th. II. S. 179 f. u. 241—45. Mſß. Trollope, Leben und Sitten in Nordamercia, an vielen Stellen, beſ. Th. II. S. 35 ff.

[46]) L. l. pag. 108.

[47]) L. l. pag. 59.

[48]) L. l. pag. 61.

[49]) L. l. pag. 63.

usus, donec revera morbum conscivit. Tum fixa in eo orta est idea, se in sella residentem hominis syphilide laborantis ab illo esse infectum.

Mirum quoque narrat *Perfect* [50]) exemplum: Homo angustis admodum rebus diligentissime et omni contentione animi historias regnorum Europae et eorum rationes mutuas perlustrans tandem ipse regem se putat, et venit in nosocomium St. Giles in the Fièlds, in quo vir demens aequalis aetatis curatur: hunc summum creat ministrum quem etiam sibi barbam radere iussit et ministrare coenam.

Praesertim autem meditationes religiosae noxie agunt in homines vel natura sensiles et debiles vel ex morbo debilitatos. Tum enim e religiosa meditatione provocatae repraesentationes ex natura sua aut deprimentem exercent in corpus vim, qua producuntur sensus deprimentes, qui rursus ad augendas agant illas repraesentationes; aut excitantes oriuntur repraesentationes, quae corpus irritant, ut ex irritatione illius rursus ideae illae exagitentur. Pargeter [51]) curavit virginem quandam pneumonia affectam. Reconvalescens incidit in maniam religiosam, sermonibus cum sacerdote methodistico collatis provocatam, qua semper clamavit: Dulcis Christe, suavis Christe! et se Christum videre et cum eo colloqui putavit.

---

[50]) Annalen. S. 45.

[51]) Theoretisch praktische Abhandlungen über den Wahnsinn. A. d. Engl. mit Anmerk. u. Zus. Lpz. 1793, S. 25.

In alia [52]) fixa idea orta est, se in aeterna tempora perditam a Deo repulsam esse, interlocutionibus cum amica de visionibus, praesagiis, gratia Dei perdita, et vitae futurae poenis.

§. 7.

Quodsi quando animus est turbatus, tum si novae accedunt fixae ideae, omnino easdem, quas in sanis, sequi leges, multis exemplis comprobari potest. Sed quum idearum productio et reproductio saepe in vesanis sit tam vivide excitata, quum idearum associatio tantopere sit efficax, et repraesentationes, quas producit rerum externarum in tales homines vis, non possint non se subiungere ideae fixae, has leges dilucide demonstrare sane plerumque difficillimum est.

Larga satis materies in vesanis etiam in somniis sita est. Quum enim animo admodum debilitato et perturbato omnis repraesentationum oppositio sit impedita, etiam somnia in vesanis saepe pro rebus factis habentur, et repraesentationes in animo servatae oppositione carentes statim in illum infiguntur. Repraesentationes, quae externis rebus fixae ideae subiunctis oriuntur, sunt fere: se ab inimicis esse circumdatos, se inimicorum voces audire et talia. Memorandum quoque exemplum, dum Siegburgi versarer in nosocomio, vidi mulieris, quae quum in nosocomium ducta libertatem suam coërcitam sentiret, se in carcerem publicum deportatam esse putabat, sed nullius criminis sibi conscia cla-

---

[52]) *Perfect* Ann. pag. 366.

mabat, se cum alia, quae crimen commisisset, commutatam esse, et orabat, ut demitterent ipsam, aliam suo loco in carcerem ducerent. Alius ibi, qui in inimicorum manus incidisse se putabat, applicationi stethoscopi ad observandum pectus vehementissime restitit. Quum vero invitus et coactus exploraretur, semper morbos varios ab inimicis per tubam illam sibi inflari putavit.

Aliud leges explorandi impedimentum in vesanis saepe inde oriri videmus, quod satis callide et astute fixam ideam et omnia, quae ad illam pertinent, celent. Sed ex studio defendendi ideam vel actiones, quas committunt, multas quoque ideas in illis oriri videmus.

Exemplum narrat *Iacobi* [53]); Vesanus masturbationi admodum deditus XXIV annorum vituperatus ob flagitium respondit, se in patria urbe in matrimonio clandestino vixisse cum vidua, cum qua duos progenuisset infantes: Cum per hiemem vinculis retentus coitu caruisset, non aliter sese facere potuisse, quam ut masturbationi se dederet. Rem ita narravit, ut admodum probabilis esset, et ipse tandem sibi persuaderet; nihilominus ficta fuit. Siegburgii item, medicis per nosocomium horis matutinis ex more circumeuntibus vesanus questus est, se ab alio vapulasse et nescio quo vestimento spoliatum esse. Quae criminatio, quum minus, quam optabat, nos movisset, addidit, eundem duos Christianos et ingentem numerum Iudaeorum

[53]) L. l. pag. 408.

trucidasse. Quaerentibus, unde sciret, respondit. Eum esse Mosen, et Mosen sane hoc fecisse, idque in posterum usque credidit. In quo manifestum est, odium et cupidinem ultionis criminatorem istum impulisse et corripuisse.

Omnino easdem vesanos in fixis ideis formandis quam alios, sequi leges, ex Guislainii quoque exemplis elucet, quae narrat multis locis, et caeterorum scriptorum. Praesertim quoque ex cupidinibus magna provenit illis fixarum idearum copia. Quum enim oppositio sit impedita, cupidines statim quasi verae res apparent.

Exemplum non sine miseratione legendum narrat *Guislainius* [54]). Mulier quaedam imperii Francogallici temporibus filium ad exercitum mitti videt, ad quem sibi servandum opes suas modicas omnes consumserat. Concussa dolore incidit in melancholiam. Ducitur in nosocomium ibique aspiciens puellam amentem statim amplectitur clamans: Hic est Fridericus meus! Iam non est tristis, multo meliore valetudine utitur et puellam illam non deserit. Phthisi laboranti per complures menses maxima cum sedulitate et cura adsidet et mortua tandem illa se consolatur, se cum illo brevi esse conventuram dictitans.

Haec exempla sufficiant, quum et locus et tempus accuratius rem tractare prohibeat. Plura etiam in capite insequente adferam.

---

[54]) L. l. pag. 39.

CAP. III.

DE RATIONE, QUA FIXAE IDEAE EX ANIMO RECEDANT.

§. 1.

Tenetur in animo fixa idea variis rationibus. Plerumque sane corporis morbo et infigitur et evanescit aut mutatur. Nec vero ullum vesaniae graviore morbo productae curatione, quae dicitur psychica, sanatae exemplum invenio. Conferendus est hac de re praestantissimus liber cl. *Iacobii* supra laudatus, in quo argumentis perspicuis et observationibus diligentissimis docet curationem psychicam: labores, ludos, permutationem conditionis prioris et varia illa eiusdem generis adminicula quidem curae sane non contemnenda, sed principalia remedia nunquam esse posse.

Ex ipsis artis praeceptis sane negari nequit, animi commotiones vehementiores, quum tanta vi agant in corpus, ut ex permutationibus et concussionibus, quas producunt in corpore, perturbationes animi possint excitari, — etiam, si satis explicatae, et certis terminis inclusae in animum vesani immitti possint, tam faustam corporis conditionis permutationem producere posse, ut turbatae functiones animum subigentes restituantur [55]; neque tamen exemplum accuratum, sufficienter demonstrans in scriptoribus narratum inveni, nisi si animi conditio ipsa functionis perturbationem

[55]) Cf. *Cox* l. l. pag. 53.

in corpore sustentabat; atque ita ad ideam fixam in animo retinendam agebat.

Diversa autem ratio est earum virium, quae in animum ipsum agunt. Consuetarum repraesentationum, si antea satis fortiter in animo stetere, vim permagnam ad reprimendas fixas ideas iam supra [56]) docuimus. Addam illud *Swietenii* [57]) exemplum; opificem scrinarium, quoties in officinam suam venisset, mentis omnino compotem fuisse.

In omnibus his exemplis consuetae repraesentationes nullam oppositionem ineuntes, quam corpus non ferret, omnes fixas ideas reprimunt e conscientia, et dum perstant in animo, repressas tenent. Ubi vero recedunt, statim apparet aliarum idearum perversarum orbis. Ista vero ratione haud unquam continget, ut fixa idea reiiciatur.

In aliis vero ideae fixis in animo stantibus sese opponentes simul cum illis in conscientia concurrunt, atque fieri non potest, quin se invicem impediant ac reprimere studeant. Oritur inde, h. e. ex certamine, quod ineunt repraesentationes, motio animi et intentio virium, qua etiam corpus afficiatur necesse est.

Quodsi tantam motionem ferre posset, quanta ad adaequationem et circumscriptionem idearum oppositarum postulatur, animi perturbatio tolleretur. Nunc cum adaequatio ista corporis morbo impedita sit, necessario id efficietur, ut ex oppositione, ex impedimento, quod altera alteri reprae-

---

[56]) Cap. I. §. 1.
[57]) Apud *Rush* l. l. pag. 168.

sentationum series constituit, utraque crescat, utriusque vis augeatur, donec tandem, si corpus talem repraesentationum concursum ferre desinat, fixa idea omni vi, quam corporis sensus communis inde turbatus suppeditat, oppositas reprimat, atque ita firmata perstet in animo.

Omnino enim hoc fit secundum naturae leges, ut binae vires, quae in se agunt, oppositae, semper, dum cohibitio perstat, augeantur, nec nisi ex illa resistendi vi minuta, quae est apud vesanos in caeteris repraesentationibus, explicari potest, quod sub perpetuo repraesentationum tantopere deprimentium pressu vitam talem, qualem agunt, agere possint Saepe autem fixae ideae vis tali oppositione ita augetur, ut ipsam vitam ex tali tensione extinguat. Vide, quod narrat *Perfect* [58]). Vincentium quendam tam longum et enormem sibi visum esse, ut per cubiculi fores egredi non posset. Quem medicus cum vi e cubiculo protrudi iuberet, clamitabat, sibi viscera ab ossibus divelli, et paulo post ex tanta animi commotione mortuus est.

Non semper vero fixa idea tam firma et tenax est. Saepe corpus modo naturam ideae in animo formatae constituit. Tum usu venit, ut, si alia idea in animum incutiatur, subito fixam, quae adest, supprimat, et idearum naturae, quam corpus iubet, accomodata in animo perstet.

Ex hoc genere est, quod habet *Esquirollius* [59]). Mulier quaedam opinionem concipiens, se a ma-

---

58) Annalen S. 343.
59) L. l. pag. 212.

rito telo peti in puteum se praecipitare in animo habet. Currenti acclamant, si ipsam interficere vellent, veneno id facilius fieri posse. Redit, at nec cibos sumere vult, nec potus, quia venenatos esse suspicatur.

Melancholicus se infamem factum habet. Omnia adhibentur, etiam solamina religiosa. Statim se damnatum putat in aeternum.

Esquirollius talem conditionem *Catalepsin* quasi animi nominat. Est vero in his fixa idea tam vehementer e corpore in animum propulsa, ut ferre nequeat cum discrepantibus in animo concursum. Quodsi tum alia, naturae morbi respondens, tanta vi propellitur in animum, ut etiam in conscientiam veniat, statim priorem supprimit, praesertim quum respondens naturae morbi nullam oppositionem moveat. Hinc fixa idea non plane supprimitur, nam natura eius remanet, et forma sola mutatur, ita ut quasi dimidia remaneat. Ita necis imminentis idea in illa muliere remansit, naturae morbi respondens, sed forma necis, — repraesentatio, qua fieret, — mutata est.

§. 2.

Saepenumero accidit, ut fixa idea, quae morbo corporis in animo nostro producitur, tenacissime statim in eo perstet, videlicet si aliis quoque temporibus, ubi etiamnum mentis compotes fuere, contra opponentes libera animi actione in animum est elata. In hypochondriacis, ut exemplo utar, et hystericis repraesentationes ex variis sensus communis rationibus provenientes iam per se, quum

animus ad illas attentus semper esse consueverit, tanta vi in animo tenentur, ut a ceteris repraesentationibus opprimi nequeant.

Si vis ceterarum ex morbo magis etiam minuitur, fixae ideae vis ita augetur, ut ipsis conditionibus, e quibus prodiit, iam cessantibus ne tunc quidem opponentibus cedat et corpus admodum sensile continuo teneat in contentione fixae illi ideae respondente. Tum igitur causa, qua tenetur fixa idea, in sola debilitate corporis sita est, quod opponentium concursum in animo non fert, dum, si contingeret, ut fixa illa idea supprimeretur vel expelleretur, in corpore prorsus nulla perturbationum animi alia causa adesset. Minus ex praesente corporis conditione igitur tum pendet retentio fixae ideae, quam ex praeterita, i. e. ex fastigio, in quod fixa idea morbo iam superato est propulsa.

Haec sunt de quibus *Guislainius*[60]), *car il est une époque du mal, où le délire ne s'entretient plus, que par habitudes; plus que tout autre organe le cerveau montre une propension des répétitions fonctionelles.*

Ibi variis modis fixa idea supprimi potest: 1) Ita ut repraesentationes deprimentes agere sinamus in illos, quae, quum non per se sint contrariae fixae ideae, non ad tantam altitudinem provectae esse debent. Tales repraesentationes tum non oppositione agunt in fixam ideam, sed eo, quod cor-

---

60) L. l. pag. 375.

poris vires deprimendo irritationem tollant, quae in eo tanto impetu fixae ideae orta est, et proinde facultate privent, tam exagitatam ideam ferendi. Tali modo agunt affectus deprimentes in vesanis excitati.

Aegrotus [61]) reconvalescens ex febri autumnali putavit, postero die sibi obeundum esse, et sanatus est, cum interrogatus esset, an capulum faciendum curarent?

Aegrotus [62]) putat, se arsenico esse venenatum: sanatur, quum ei linea trahatur cultro anatomico per abdominis integumenta quasi ad dissecandum et inquirenda intestina.

Videmus ex priore exemplo, secundum eandem legem, etiam si corpus ex morbo nimium debilitatum ideam foveat efficacissimam, quae hac ratione noxie in corpus agat, illam supprimi posse, et vix addere opus est, etiam in omnibus, quae deinceps narrabo, haec cum illis hypochondriacis confundi posse.

Pertinent huc quoque exempla, in quibus aut rerum externarum conditione permutata, aut alio modo, minis, i. g. a. intacta, fixa idea deprimentes repraesentationes in animum propelluntur, quae tantopere agunt in corpus, ut vires eius depressae iam fixas ideas admodum exagitatas ferre nequeant.

Antoinette M. [63]) ex amore infelici erotomania affecta propius ad ignem sedens comburit sibi vestimenta, sed ex terrore sanatur.

---

61) *Rush* l. l. pag. 85.
62) *Rush* l. l. pag. 84.
63) *Guislainius* l. l. pag. 405.

Vir quidam vesanus sine causis cognitis vagatur foris. Ab adparitoribus in pago vicino captus a patre coram omnibus in via versantibus domum reducitur, ubi pater dicit: Iohannes, cras tu laborabis. Si recusas, en tibi baculum paratum! Vesania evanuit, deinde post duos annos rediit.

Aegrota per tres annos melancholia suicida affecta sese suspendit. Soluta tres per dies manet asphyctica, sed est sanata.

Guislainius [64]) sanat maniacos ideis ambitiosis laborantes, ubi non adsunt causae organicae, eo, ut domum mittat, visuros miseriam, in quam ipsis absentibus familiae rediguntur.

2) Ita, ut fixae, quae adest, ideae vim adimamus, quo facto facile ab opponentibus supprimitur. Hoc vario modo perfici potest:

a) Si remediis externis, dolo, fingimus, ideam fixam veram fuisse, sed iam res remotas esse. Ita fixa idea debilitatur, quum videant, iam non amplius adesse posse illas res, et ab aliis supprimitur. Sane non iuvabit, si sensus communis turbatus coniunctus cum functionum corporis aliis perturbationibus perstat; sed de his nunc quidem non agitur. Scatent libri huiusmodi exemplis, modo illud adferam quod est apud *Esquirollium* [65]), ubi *Ambrosius Parreus* vesanum, qui ranas in ventre se gerere putavit, ranis faecibus immixtis sanavit.

b) Si repraesentationes in animum revocamus quae ideam fixam omni cum aliis coniunctione ca-

---

64) L. l. pag. 422.
65) L. l. pag. 244 ubi et al. ex.

rentem facile evincunt. Hoc vero congruit cum sanatione eorum, qui fixis ideis laborant, affectibus deprimentibus perfecta. Ibi enim pudor ob ridiculam ideam animum deprimit.

Hic modo valet disputatio, cuius *Coxius* [66]) egregium exemplum narrat.

„Ego sum spiritus sanctus", ait vesanus. — „Unde hoc scis?" respondet alius — „quomodo spiritus sanctus esse potes?" „Scio me spiritum sanctum esse." „Quomodo tu esse potes, quum ego sim spiritus sanctus?" Perturbatus per aliquot momenta adstat, tum vero respondet: „Nescii, certe ego spiritus sanctus esse non possum." Alia permulta in promptu sunt.

c) Si quasi concedendo fixam ideam vesanum incitare possumus, ut magis magisque eam explicare atque cum aliis iungere studeat. Tum corporis debilitati irritatio, producta vi, qua fixa idea in animum est propulsa, ex sedata magis animi motione, repraesentationibus minus se oppositione impedientibus, evanescit, simul fixae ideae vis minuitur.

Vir [67]) quidam, putans ab ancilla vestem veneno esse infectam, sanatur, petentibus amicis, ut libellum conscribat, quo ancilla accusari et damnari possit. Aliud exemplum in *Coxio* [68]) est. Aliud luculentissimum apud *Guislainium* [69]).

3) Etiam commovendis affectibus excitantibus fixa idea saepe evertitur.

---

66) L. l. pag. 77 in not.
67) *Rush* l. l. pag. 83.
68) L. l. pag. 61.
69) L. l. pag. 378.

Si ex oppositione ad summum fastigium elata est, omnes aliae repraesentationes e conscientia deprimuntur; sin vero contingit, ut repraesentationes fixam ideam non attingentes in animum inducamus, quae vi affectus excitantis protruduntur, tum omni vi, qua in irritato corpore fixa idea perstat, altera affectus excitantis instar provehetur, et fixa idea omnino reprimetur. Sed corpus, consueto fixae ideae irritamento privatum, incitationi illi insolitae brevi succumbit, et depressum ad revocandam fixam ideam tum nimis irritantem non est accommodatum.

Hypochondriacus [70]) quum mortuus sibi videatur sepeliendum se esse putat, ante quam putrefiat; effertur ad templum et a viris praetereuntibus ei maledicentibus ad iram commotus, primo, si non mortuus esset, se ultionem petiturum clamans tandem tantopere ad furorem propellitur, ut desiliat ex feretro, eosque verberet. Sanatus inde abit.

Non opus est, ut hic de singulis artis auxiliis, quibus moventur affectus vel deprimentes vel excitantes, copiosius disseram: de mutatione loci per itinera, per nosocomia, de remediis coërcitivis, adspectu subitaneo amicorum et aliis, quum eadem ratione omnia sint explicanda.

§. 3.

Si fixa idea eo sustentatur, quod qualibetcunque e causa orta functiones organorum necessarias retinet, et tum, uti supra dictum, quasi in gyrum

---

[70]) *Perfect* l. l. pag. 32.

flexa sedem sibi collocat, repraesentationibus fixae ideae respondentibus sine ulla oppositione ad functiones perficiendas facile saepe aguntur homines, unde fit, ut iam remota sensus communis turbatione fixa idea reprimatur, quum ita resistendi vis maxime minuta sit, dum opponentium vis, functione retenta corpore non amplius irritato, augeatur. Exemplum iam supra dedimus [71]).

Esquirollius [72]) aliud ex *Foresto* laudat: Daemonomaniacus edere non vult, ut qui mortuus sit. *Forestus* alium adducit, qui se mortuum esse dicit, et mortuos multum edere. Edit, et sanatur.

§. 4.

Nec semper vehementioribus animi motionibus opus est ad tollendam fixam ideam; saepe sufficit, si intentio, in qua animus tenet corpus, id debilitat, et si ex debilitatione illa repraesentationes admodum deprimentes summa vi irritationis propelluntur in animum, alias repraesentationes placidiore quodam modo in illum intrudi, ut solvatur tensio, quae semper sensibus deprimentibus sustentatur: qua soluta tum animus irritantem suam vim in corpus exercere iam non potest, irritatione vero remittente ad normam redit irritabilitas et debilitas simul minuitur. Tum corpus ad reproducendas fixas ideas non amplius accommodatum et animi perturbatio sanata est. Non sine successu ad hanc rem priores repraesentationes apte inter se consonantes, quae animum erigere possunt, ad-

---

[71]) *E. Rivero*, pag. 10.
[72]) L. l. pag. 244.

hibeas et fortasse huc quoque referenda est musicae salubris facultas, cuius *Coxius* [73]) exemplum habet.

Exemplum, vim mirifice sanantem repraesentationum apte inter se consonantium, modo ne ex animi exaltatione corpus debile irritari desierit, egregie exhibens invenimus apud *Goochium* [74]).

Mulier XXVIII annorum sensilis exeunte secunda graviditate quum unus e cognatis graviter adflictus esset, tantopere commota est, ut angor ingens et metus, ne vesana fieret, usque eam vexaret. Per tres quatuorve menses infanti mammas praebet, qua re coniuncta cum solicitudine perpetua ita debilitatur, ut multis modis aegrotare coeperit. Putat, se gravissimo quoque morbo laborare, modo cancre modo enteritide et similibus. A medico rus mittitur, et per varias valetudinis vices, modo lucida habet intervalla, modo se criminum atque summae improbitatis incusat. A marito omnino separata melior non fit. Tandem putat, se criminum causa mortis damnatum iri, et infamiam suam perniciem infantibus maritoque effecisse. Horis vespertinis ad fenestram adstans prospicit in paludem albescentem, quam pro mariti larva habet, quae diu noctuque ei in aures insusurret. Post complures hebdomadas maritus eius retineri non potest, ipsam adit, sed ea in cubiculi loco remotissimo se abdit. Tandem laetissimo ore, quod eum superstitem videat, provenit. Mox altissima voce clamitans,

73) L. l. pag. 90.
74) L. l. pag. 123.

manes eius rediisse ait. Ille uxoris manu prehensa ducit eam in hortum, narrat de familiaribus et cognatis, et quae interiecto tempore acciderant. Post vividum colloquium interrogat, an non loquacissimum sit spectrum? Ridet, cum eo coenat, et omnino est sanata. Postea vero, quum ex apparatu ad iter in balnea marina faciendum necessario animus rursus commoveatur, corporis magna debilitate recidit in aegritudinem, quae tamen post frustraneum aquae aërisque marini usum per cognatos amicosque adeuntes tollitur et sublata manet.

Nemo enim nescit, quam salutarem vim exerceat in animum prioris vitae melioris recordatio, idque eo magis, si ex eo corpus debile admodum exagitatur; cuius generis apud Esquirollium insigne exemplum legitur [75]).

Iuvenis duce clarissimo Moreau in exilium misso ad desperationem commotus se destinatum putat, qui ignominiam populi sui ulciscatur. Adparitores, qui eum proficiscentem comitantur, honoris causa sibi additos arbitratur, atque postquam Parisios venit, cognatos et amicos pro hostibus habet. Sex per menses separato subito adest amicus, quem cuiusque generis minis adoritur. Ille silens medium amplectitur, aegrotus pallescit et fatigatur, lacrimantes se amplexos tenent, et vesanus est sanatus.

---

[75]) L. l. apud *Guislainium* pag. 385.

Sane quidem in his omnibus affectus antecedit, nec vero etiam alia ratione repraesentationes in animo suscitari possunt ob vim, quam habet versans in eo fixa idea. Tum vero tali ratione concussa omnino eiicitur repraesentationibus, quales modo enarravimus [76]).

§. 5.

Saepe fit, ut fixa idea in animo teneatur, etiamsi conditiones corporis diu evanuere, quia adest repraesentatio ab aliis, quae ex conditione et vita vesani prodeunt, semper retenta. Ex hac repressione perpetua oritur tanta in animo motio, ut praeter hunc ferre nequeat alterum idearum sibi oppositarum concursum. Inde efficitur, ut repraesentatio illa falsa sine ulla oppositione affixa remaneat in animo. Tum si cupidini, si ergo studio repraesentationis illius, quae semper ab aliis deprimitur, satisfit, motio illa animi tam noxie in corpus agens evanescit et fixa idea facile repraesentationibus novis undique in animo provenientibus supprimitur.

Guislainius [77]) complura exempla narrat et indicationes addit, quibus tale remedium adhiberi possit.

Virgo XXXI annorum amore infelici ad animi perturbationem cum excitationibus vehementissimis adigitur. Novem menses in nosocomio curata quietior fit, at tristissima, saepe dicens: „Ah maman! elle est morte, sans doute! Je suis si malheureuse!“

[76]) Huc facit etiam *Guislainii* exemplum. l. l. pag. 390.
[77]) L. l. pag. 384 sqq.

Adducitur ei mater, exclamat: „ma mère!" — et est sanata.

I. V. . . . XL annos nata e terrore labitur in melancholiam cum idearum confusione. Post complures menses, quos a suis omnino separata vivit, melior conditio fit, et magnum mariti videndi prae se fert desiderium. Cui quum satisfiat, omnino sanatur. Refert quoque *Georgetii* exemplum, qui narrat, virginem amore infelice ad melancholiam ductam omnibus cibis repudiatis in marasmum incidentem sanatam esse, cum vir dilectus venisset, pollicitus, se ipsam in matrimonium esse ducturum [78]).

Denique quum nunquam fere una causa in hominibus agat ad fixas ideas producendas, quum saepe permultas simul efficaces videamus, non potest fieri, quin ex tali complicatione leges supra commemoratae multis variationibus subiectae sint, et saepissime difficillimae ad ostendendum.

Et sane permulta restant cum ad exaranda copiosius singula capita, tum ad ostendendas varias complicationes eorumque effectum; sed prohibet et tempus et locus. Sufficiat igitur primas certe lineas dedisse, quam potui accuratissime: in quo si non prorsus infaustis ominibus versatus fuisse videbor legentibus, satis me his studiorum meorum qualibuscunque primitiis consecutum esse existimabo.

---

[78]) Pertinent huc regulae *Guislainii* de dimittendis vesanis, pag. 393 et 394, et admodum simile est exemplum supra laudatum, pag. 390 et 91.

VITA.

Natus sum ego Henricus Fridericus Georgius Birnbaum Ratisbonae anno nostri saeculi XV. die mensis Februarii XVIII., patre Eugenio Iacobo Birnbaum, t. t. Gymnasii eius urbis collega, matre Philippina Elisa e gente Freund, quos parentes etiam nunc inter vivos versantes pio laetoque animo veneror. Fidei sum addictus Catholicae. Primis litterarum elementis imbutus Treviris, annos natus novem adii Gymnasium, quod floret Coloniae patre optimo moderatore. Quod quum frequentavissem per annos octo et dimidium, autumno anni MDCCCXXXII. examine abiturientium feliciter absoluto, hanc almam adii litterarum universitatem Bonnensem, ubi in civium academicorum numerum receptus a Rectore t. t. magnifico ill. Walther, nomen professus sum apud cl. Harless, t. t. Decanum ordinis gratiosi medicorum spectatissimum.

Hae sunt, quas frequentavi per quatuor annos et dimidium lectiones:

I. Philosophicae.

Logice et psychologia nec non introductio in philosophiam apud cl. van Calker, elementa matheseos apud beat. Diesterweg, Taciti Agricola apud cl. Ritter, historia Imperatorum Romanorum apud cl. Loebell, philosophia religionis apud cl. Brandis, physice experimentalis apud cl. G. Bischof, botanice apud cl. Treviranus, mineralogia apud cl. Noeggerath, zoologia nec non historia naturalis mammalium apud cl. Goldfuss, chemia experimentalis, phytochemia ac zoochemia apud cl. G. Bischof.

II. Medicae.

Anatomia et generalis et specialis apud cl. Mayer et cl. Weber, qui mihi quoque in arte cadavera dissecandi per semestre fuere moderatores, anatomia comparata pulmonum ac cordis, physiologia, anatomia comparata universalis apud

cl. Mayer, pathologia universalis, pathologia specialis et morborum syphiliticorum therapia apud cl. Albers, materia medica, medicina forensis, epizootiae, atque ars formulas concinnandi apud cl. Ern. Bischoff, therapia generalis, therapia specialis, physiologia et pathologia cerebri, anthropologia apud cl. Fr. Nasse, therapia generalis apud cl. Harless, therapia morborum mulierum, infantum et senum apud cl. Naumann, chirurgia, anatomia chirurgica, ars operationes instituendi, ars fascias applicandi, therapia morborum oculi apud cl. Wutzer, de luxationibus et fracturis ossium, de operationibus ophthalmiatricis, de apparatu instrumentorum chirurgicorum apud cl. H. Nasse, de arte obstetricia, de instrumentorum apparatu obstetricio, apud cl. Kilian. Exercitationum practicarum mihi duces fuere in arte cadavera dissecandi cl. Mayer et cl. Weber in clinico propaedeutico per semestre, in clinico therapeutico per tria semestria cl. Fr. Nasse, in clinico chirurgico et ophthalmiatrico per tria semestria cl. Wutzer, qui mihi quoque fuit artis operationum instituendarum per duo semestria moderator, in clinico obstetricio atque in exercitationibus in machina quae phantoma dicitur, instituendis per tria semestria cl. Kilian. Quibus viris omnibus tantopere de me meritis pio gratoque animo gratias quam maximas refero.

THESES.

I. *Affectus excitantes per se non ducunt ad vesaniam.*

II. *Therapia generalis eiusdem ac specialis est momenti.*

III. *Febris nervosa mera negari nequit.*

IV. *Lochia non prodeunt ex vulneratione uteri.*

V. *Funiculi umbilicalis prolapsus per se non indicat versionem.*

VI. *Menses gravidarum non sunt.*

VII. *In methodo vertendi, quae dicitur Wiegandica, naturae est, mutare situm, non medici.*

VIII. *Punctio abdominalis in ascite non semper evitanda est.*

IX. *Cura post operationem instituta maioris est momenti, quam operatio ipsa.*

X. *Unica ad herniam operatione sanandam indicatio sita est in incarceratione.*

DE PLACENTA DISRUPTA.